

R.K. 419, 26.

(X 187 7540)

720

II i
1694

Q.F.F. Q.S!

Ex Historia Ecclesiastica,

DE

GREGORIO VII.

vulgò

HILDEBRANDO,

PRÆSIDE

M. ELIA WEIHEN-
MAJERO, ULMENSI,

disputabit publicè

RESPONDENS

ANTONIUS RAUMBURGERUS,
Mœno-Francof.

D. XV. Martii, Anno M DC XC.

loco consveto.



WITTEMBERGÆ, Typis JOHANNIS WILCKII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

e6

6



1522
GEOGRAPHIA

DE

M. FELIX WILHELMI

AVTORIS

LOCUS

AMSTELÆDAMI

1622



bu
nu
co
fi
fr
cu
m
fi
se
m

ca
go
pr
ni
ru
Ca
gr
ce

fe
ti
lo
E
ob
er
v





§. I.



Quum gravissimorum Virorum iudicio primatus Pontificis Romani sit omnium lerna malorum, quæ progressu temporis in Ecclesiam Dei uberim effuseq; redundarunt, labor sanè illorum non potest non magno cum emolumento fructuq; esse conjunctus, qui in prima Papalis regni incunabula atq; insignia incrementa inquirunt, ac quibus dolis, artibus, technis, machinationibus Jupiter iste Capitolinus ex tenuissimis prorsus principiis ad tantum potentia culmen contenderit, tandemq; per gradus pervenerit, ex historia Ecclesiastica perquisitiùs & diligentius investigant. Suo idipsum suffragio confirmat *B. Gerbardus in methodo studii Theologici p. 260.* Illud certe, ait, non dubitanter pronunciare ausim, pium & Christianum animum in veritatis cognitione non mediocriter confirmari, & contra Pontificios de antiquitate doctrinae Romano-Catholicae clamores muniri, si ex scriptis Veterum intelligit, quibus gradibus Episcopus Romanus ad sublimem istud Antichristianæ tyrannidis fastigium ascendit &c.

§. II. Quæ cum ita se habeant, bonas horas non malè me collocaturum esse arbitror, si ex probatis mediæ ævi monumentis Gregorii VII. Hildebrandi aliàs dicti, *παπποκαιοσυρίαν* non nihil representem, quandoquidem Gregorius iste septimus (quem Germani vero & fatali nomine Hellebrandum, h. e. Tutitionem infernalem appellarunt, quemadmodum Magnus noster Chemnitius loquitur in *Exam. Conc. Trid. Part. III. de Cœlibatu Sacerd. p. 117. ed. Francof. 1606.*) in regno Pontificio strenuè ad ἀκμήν provehendo omnibus suis antecessoribus palmam facillè præripuit.

§. III. Equidem maturè satis Φιλοσοφία atq; ambitio Romanæ sedis quondam innotuit, etenim Episcopus Romanos in ipsa statim Ecclesia martyrum cœpisse aliquantulum *ἰλιδοβερνδίζεν*, ut ita loquar, vel unico Victoris exemplo, Polycratem Ephesi episcopū, Ecclesiasq; Asiaticas, diverso tempore pascha celebrantes, adeoq; ob levem in re adiphora dissensum, Ecclesiæ communionem ejicientis, abunde constare potest; quorsum vid. *Eusebius Hist. Eccles. lib. V. cap. 24. f. 192. C. edit. Mogunt. 1672. quænamque Henricus Valesius Annot. ad*

ad b. l. f. 105. Eusebii verba de conatu duntaxat accipiat, non quòd Victor
Asanos à communionem suam revera se junxerit, sed id tantum conatus atq;
interminatus sit; contra Socratis lib. 5. cap. 22. aliorumq; testimonia.

§. IV. Confimili quoq; typho atq; arrogantia inflati ejusdem
sedis episcopi, Zosimus, Bonifacius, (quos proinde Isaacus Casau-
bonus, magnus ille antiquitatis heluo, Exercit. XV. ad Annales Eccles.
Baronii, p. 371. edit. Genev. 1663. PRÆCOCES HILDEBRANDULOS non
minus scitè quam verè appellat, quoniam isti paulò maturiùs se-
mina Hildebrandinæ hæreseos jecerant) ac Cælestinus seculo V.
Africanorum episcoporum & sacerdotum ad sedem Romanam
appellationem per crimen quoq; falsi postularunt, inq; ecclesias
transmarinas dominationem affectarunt. Sic etiam seculo ineun-
te septimo sedes hæc Romana cristas magnopere erigere cœpit,
siquidem ex eo tempore Bonifacius III. ejusdemq; successores in-
dultu concessuq; Phocæ, parricidæ pessimi, arrogantissimo Uni-
versalis seu Oecumenici Episcopi titulo superbierunt, primatumq;
ac dominatum in spiritualibus super universas Ecclesias auctori-
tate Imperatoria fuere adepti. vid. Marianus Scotus Chron. lib. II. atate
6. ad an. 608. f. 427. in opere Pistor. ed. Francof. 1613. conf. Platinam in vi-
ta Bonifacii III.

§. V. Atenimvero licet enumerati hætenus Pontifices Ro-
mani nimium sibi nullo non tempore arrogaverint, licet ad pri-
matum magnis contenderint passibus, quin immo Bonifacii III.
successorum non pauci potestate in spiritualibus Oecumenica
minimè contenti, ad majorem subinde dominationem haud ob-
scure grassati fuerint, primatumq; etiam in temporalibus supra
iplos Imperatores & reges non rarò affectaverint, nemo tamen il-
lorum Hildebrando vehementiùs, acriusq; se Imperatoribus op-
posuit. Etenim pleriq; ante ipsum sanctissimi patres (verba sunt A-
ventini Annal. Boj. lib. V. fol. 345. ed. Basil. 1615) quemadmodum Chri-
stus & Apostoli fecerunt & alios docuerunt, Casares ante omnes mortales
primos à supremo numine datos, divinitusq; constitutos & c. venerantur,
dominosq; suos vocare solebant & c. At Gregorius VII. (Liceat hîc infi-
gnem Hildebrandi superbiam, ingenuis Aventini, hominis Pontificii,
verbis depingere.) fretus armis Normannorum, qui tum per Apuliam,
Calabriam, Campaniam, quas vi occuparunt, debacchabantur, confusus
etiam opibus Machtylda mulieris impotentis, & discordia Germanorum,
primus contra morem majorum, contempta Imperatoris auctoritate ponti-
ficatus

ficatum maximum occupavit. Utinamq; personam sibi impositam esse à Christo, se quodcumq;, ut liberet, ligare, solvere posse, jactitare, & c. omnem potestatem in se transferre, neminem parem, nedum superiorem ferre, justa aliorum diminuere, ceteris jus atq; honorem præripere, cuncta in se transferre: Cæsares, reges, ut precario regnantes, floccifacere & c. jusjurandum, pacta, sacramenta solvere cæpit: etiamsi injuria vel ipsum Cæsarem affecterit, tamen se metui oportere in quadam gloriatur epistola, utpote qui errare non possit, & à Christo Domino servatore nostro Petroq; acceperit potestatem, ut solvat ligetq; utcumq; libeat. Hactenus Aventinus, candidus omnino, cordatusq; scriptor.

§. VI. Attamen ambitiosissimum istum Hildebrandum, ab Aventino jamjam graphicè & ex vero descriptum, Platina in ejus vita p. 181. b. e d. Colon. Agripp. 1611. insigni maectare elogio, virumq; Deo gratum, prudentem, justum, clementem, pauperum, pupillorum, viduarum patronum & c. vocare haud erubescit. Sic etiam illum ipsum Trubemius Abbas in Chronico Hirsaugiensi ad annum 1073. f. 72. ed. Francof. 1601. virum magnæ pietatis, prudentiæ, justitiæ, constantiæ & religionis; Johannes Nauclerus verò Tubingensis quondam Præpositus Chron. Volum. II. Generatione 37. f. 161. b. ed. Tubing. 1516. virum religiosum, timentem Deum & c. quin immo Onuphrius Panvinius Annot. ad Platinam in vita Gregorii VII. p. 181. & 182. virum sanctissimum; Bellarminus deniq; lib. de Scriptorib. Ecclesiast. p. 163. ed. Colon. 1684. Gregorium sanctitate & miraculis gloriosum, appellare minime dubitarunt; conf. ex vetustioribus Lambertum Schafnaburgensem, monachum Hirsfeldensem, qui Annal. f. 488. ed. Argent. 1669. Hildebrandum virum sacris literis eruditissimum, & in tota Ecclesia omni virtutum genere celeberrimum, Zeloq; Dei ferventissimum fuisse affirmat; add. Otton. Frising. Chronici l. 6. c. 32. & c. 36. aliorum Papistarum, tam antiquiorum, quàm recentiorum encomia, quibus Gregorium exornarunt, silentio nunc transeo, quem certè cum B. Chemnitio nostro l. c. prostigatum diaboli organon, ac cum Celeberrimo Heideggero in præfat. Historia Papatus: Furiam humani generis, meliori longe jure tituloq; dixeris.

§. VII. Atque huic Hildebrando viri historiarum probe gnari in Papali Monarchia in temporalibus etiam constituenda communi suffragio primas tribuere partes consueverunt, hinc laudatus modò Aventinus lib. alleg. f. 346. papam, de quo sermo est, primum condi-

dise Imperium Pontificium diserte affirmavit, cui etiam pronuncia-
to, à veritate haudquaquam alieno, acerrimi Romana *παραβασι-*
λει & propugnatores haud difficulter suum adjiciunt calculum, si-
quidem *Platina l. c.* eo potissimum nomine eundem appellat *uni-*
cum ecclesiae Romanae fortissimum, & acerrimum defensorem contra ha-
reticorum improbitatem, & malorum principum potentiam &c. Onu-
phrius itidem *Panvinius Annot. ad Plat. l. c.* totius *Ecclesiasticae liberta-*
tis (specioso namq; hoc titulo Papalem incrustare tyrannidem isti
assolent) *unicum assertorem fuisse Gregorium VII.* asseverat. Quin
etiam *Bironium Cardinalem* Paulo quinto recens pontificatum ad-
epto ipsum *Hildebrandum*, ut perfecti pontificis ideam, propo-
suisse auctor est *D. Georg. Calixtus in Tract. de Conjugio Clericorum p.*
424 ed. Francof. 1653. eundemq; sub initia administrationis sua excommu-
nicatione in Venetos vibrata Paulum cepisse. *ἰλιος βασιλεως* adeo gavi-
sum fuisse Idem memorat, ut ad laetitiam animi sui exprimendam verba
ab Apostolo fuerit mutuatus, dicendo: *ego, ut ingenue fatear, exulto spi-*
ritu; dicam cum Apostolo, superabundo gaudio videns in hac ultima mea
senectute in sede Petri sedere Gregorium septimum &c. conf. omnino
Casaubon. in Baron. l. c. p. 372.

§. VIII. Illud vero adhuc etiam atq; etiam observasse non abs-
re fuerit, historica mediæ ævi monumenta. si uspiam alibi, certe hic
de *Henrico & Hildebrando* prudenter admodum ac cum iudicio
esse evolvenda, si quidem à vero falsum accurate discernere velis,
etenim horum temporum scriptores maximam partem fuere mo-
nachi, Episcopo Romano addictissimi, qui *Henricum IV.* jura sua
fortiter propugnantem, atq; *Hildebrandi tyrannidem* quovis mo-
do infringentem, acerbis perstringunt, incusant, vituperant, vi-
tia ejus perquam odiose exaggerant, ac omnia ad vivum resecant,
contra vero *Hildebrandi facta actionesq;* laudant, extollunt, ac
sæpenumero veritatem studiis partium corrupti celant ac suppri-
munt. Quenam felicitas ejus temporis fuerit, (verba refero *Aventi-*
ni l. c. f. 345.) vel hinc existimare licebit, quod ejus tempestatis illustris &
gravis imprimis ac eloquentissimus scriptor nomen suum prodere non au-
det. Et admodum scite acriterq; ad factiones, ad fraudes, ad scelera (in-
quit) *perventum est: vera scribere periculum, falsa crimen.* Quibus
rebus factum est, ut boni illi monachi, terribilis *Jovis Capitolini*
cuncta fulmine perterritantis metu perculsi, vera proferre vix ac
ne

ne vix quidem auderent, aut perquam timidè Hildebrandinas redarguerent novitates, id quod pluribus exemplis ex dictis jam historicis confectum, comprobatumq; dare in proclivi esset, nisi brevitati studerem. Adhæc quæ pro defensione Henrici, reliquorumq; Cæsarum, factum papalem macule compefcentium, quondam fuere scripta, pleraq; injuria temporum, hominumq; malitia suppressa fuisse & abolita, haud vane autumant eruditi. *Vid. Cratonis Mylii Selestadtensis ad Melanchth. epistolam, Chronico Urspergensis præmissam.* Scriptores autem, qui hodiernum supersunt, cordatiores, quotquot nempe scapham, quod in proverbio dicitur, appellare scapham, veritatemq; liberius aliquanto proloqui sustinuerunt, in viso Schismaticorum titulo notantur ac vehementer vapulant à Romanæ Thaidis bafiatoribus, quod vel solo *Bennonis Cardinalis, vita Hildebrandina auctoris*, exemplo satis liquet. Consimiliter *Sigebertus monachus Gemblacensis à Platina* eque in *Paschale II. p. 191. a.* ut & *Tribemio de scriptoribus Ecclesiasticis f. 270.* eruditionis elogio valde macatur, verum ab hoc reprehenditur eo nomine, quod *Henrico Imperatori Romane Ecclesie persecutori & rebeli adhaerens, contra Hildebrandum calamum stringere presumpserit; nec meliorem Gemblacensis gratiam reportavit à Bellarmino l. c. p. 173.* Pesfimè quoque apud istiusmodi homines audit *Aventinus*, scriptor superioris seculi gravissimus, ob ingenuam dicendi libertatem, ac veritatis, cujus semper fuerat tenacior, amorem prorsus incomparabilem, siquidem *Baronius*, teste *Calixto l. c. p. 431.* eum appellat hæreticum, etiam si pontificiæ religioni addictus semper fuerit. Verum enimvero quicquid etiam papæ mancipia maledico & petulante ore garriant, multo tamen majorem *Aventino* fidem in rebus *Hildebrandinis* habendam esse arbitror, quam multis illorum temporum scriptoribus, rebus *Hildebrandi* unicè studentibus; quamvis enim ille *Gregorii* ætate longe sit inferior, nihil tamen quicquam ex suo confinxit cerebro, verum epistolarum, diplomatum, edictorum, rescriptorum *Henrici & Hildebrandi* ultro citroq; missorum (quæ omnia in Bibliothecis Bavaricis extare testatur ipsemet *l. c. f. 344.*) publicam secutus auctoritatem, utriusq; causam sedulo & ex fide peroravit. Neqveo mihi temperare, quin in gratiam B.L.
ipsis.

ipsisima candidi viri verba adscribam: nos, inquit, quemadmodum decet historicum, solam veritatem spectare, & ab omni odio atque amore vacuum esse, scribemas. Quippe cui Hildebrandus & Henricus, quos narrabo, nec beneficio, nec maleficio noti, ut qui ante quadringentos annos, quam ego nascerer, mortui sunt. Ibidem quoque graviter invehitur in Chronicarios (uti vocant,) Vincentium, Antonium & Jacobum, reliquosque summularios, specularios &c. quos homunciones vocat perditissimos & indoctorum arrogantissimos: qui cum nihil calleant, omnia tamen profiteri audeant &c. vid. *Annales l. c.* Quod si igitur in rebus Hildebrandi describendis Aventini auctoritatem non raro aliorum historicorum narrationibus anteposuerò, non est, quod quenquam mirari subeat.

§. IX. Quibus ita constitutis, tyrannicas Hildebrandi machinationes jam propius advertere, ac penitus perquirere juverit. In quo equidem negotio dum totus sum, nolim nunc multum facere verborum de molitionibus, actionibusve variis, quas Hildebrandus adhuc dum privatus, antequam videlicet papalem ascenderat thronum, miranda prorsus vafricie designavit, neque adversus *Platinam l. c. p. 175.* aut *Baronium* super libera canonicaque ejusdem ad papatum electione (quam Benno quidem in ejus vita discrete inficiatus est; *conf. Conradum Abbatem Ursperg. Chron. ad an. 1074. f. 169. ed. Argent. 1609. Nauclerum l. c. gen. 36. f. 157.* saltem inconsulto Cæsare contra majorum instituta ipsum fuisse electum, omnes propemodum fatentur. *Vid. Lambert. Schafnab. Annal. f. 488. sub anno 1073. Frising. Chron. l. 6. c. 34. f. 126. ed. Basil. 1569. add. Aventin. l. c. f. 345.*) operose disputavero, quippe meâ parùm refert, quocunq; tandem modo, legitime, an minus legitime, Antichristianam occupavit cathedram; *legatur interim hac de re Calixtus l. c. p. 412, 413.* quin potius res ab eo jam Pontifice Maximo gestas, quatenus ad meum institutum pertinent, strictim persequar. Ante omnia verò in causas tam perniciosæ discordiæ, tanti tumultus, tantarumque seditionum ac bellorum, Henricum inter atque Hildebrandum cum maximo reipublicæ Christianæ detrimento gestorum, accuratius inquirendum esse existimaverim, cum scriptores immane quantum hic dissentire animadvertam, in Henricum aliis,

aliis, aliis item in Gregorium pro diverso partium studio culpam omnem transferentibus.

§. X. Quamobrem summa rei capita paulo altius repetere, operæ fuerit pretium. Romanorum nempe Imperatores inde à Carolo M. usque ad Henricum IV. sacrorum jure gaudebant, quo Episcopatus & Abbacias per virgam & anulum solenni ritu conferebant, quam Episcoporum institutionem Investituram vulgò appellant; immo neque Pontifex Maximus sine Imperatoris consensu creari poterat, juxta decretum illud perpetuum, quod universo Episcoporum ab Hadriano Pontifice Romam convocatorum, consentiente conventu factum est, in verbaq; Caroli M. juratum: *Nullum posthac fore neque Romanum, neq; aliorum templorum antistitem, nisi quem Carolus, successoresq; ejus sciverint & jusserint &c. uti Aventinus Annal. Boj. lib. 4. in Carolo M. f. 188. & Carolus Sigonius de regno Ital. lib. 4. ad an. 773. f. 89. ed. Francof. 1575. prolixè seduloq; docuerunt; conf. Nauclerum l. c. gen. 36. f. 160. Hanc ipsam quoque Hadriani constitutionem seculo currente X. Imperio Romano à Carolovingicis ad Ottonem M. ex Witkindæa Saxonum progenie oriundum delato, Leo VIII. renovavit, atq; Ottoni I. ejusq; successoribus confirmavit, in perpetuum facultatem ordinandi summae sedis Apostolicæ Pontificem, ac per hoc Episcopos, ut ipsi ab eo investituram accipiant &c. veluti verba habent constitutionis Leonis VIII. quam exhibet Sigonius lib. 7. de R. It. ad A. 963. fol. 169, 170. Atq; ita observatum esse hoc jus sacrorum sine controversia ad Henrici IV. imperium, locuples testis est Aventinus l. c. f. 188. nec Onuphrius Annot. ad Plat. pag. 195. in vita Calisti II. in facias ire ausus est.*

§. XI. Hoc igitur Investituræ jus sudes in oculis hætenus fuerat Pontificibus, hoc ut in se & successores traheret, eodemq; Imperatores privaret, Gregorius VII. nullum non movit lapidem, totumq; ideo Romanum imperium perfidia, bellis, cædibus, rapinis, parricidiis, seditionibus plusquam civilibus perturbavit, cælumq; terræ miscuit, Henrico IV.

B

jus

jus suum, à majoribus per manus traditum, à tot pontificibus comprobatum, masculè propugnante, ac mordicus retinente. Hinc illæ lachrymæ! hinc illæ simultates atque odia plusquam Vatiniana! Adeoq; vera hæc, potissimaq; causa fuit discordiæ capitalis. Henricum inter atque Hildebrandum concitata, fastus nimirum Pontificius, ambitio, detestabilisq; dominandi cupiditas.

§. XII. Atvero mirus iste artifex, Gregorius, Pontificiarum artium callentissimus, novam suam tyrannidem prætextu sanctissimæ religionis, Apostolicæq; auctoritatis mirifice texit commodasq; ad institutum suum feliciter conficiendum occasiones astute captavit, in primis à dissolutiori Henrici juvenis vita ansam arripiens, in superq; discordia Germanorum fretus, conventu Romæ habito decrevit, ut *qui deinceps episcopatum, vel quodcumq; aliud ecclesiasticum beneficium à laico acceperit, nullo modo in numero clericorum censeatur &c. Eisdem quoque censuris notavit reges &c. qui episcopatus &c. demandare alicui fuerint ausi &c. quemadmodum Platina p. 179. memorat, conf. Marian. Scot. Chron. lib. 3. at 6. ad An. 1074. f. 453.* Scilicet laico, uti loquuntur ejusmodi potestatem conferri neutiquam posse contendebat, sed curam rerum illarum ipectare ad Pontificem Romanum. Dicto autem suo non audientes probroso hæreseos titulo exosos faciebat, & tanquam Simoniacos devovebat; Nimirum cum *Cæsares ad huc episcopos &c. suo jure caperent* (verba sunt *Aventini l. 5. f. 346.*) ut homines, non dii sumus, eveniebat interim, ut & honorarium scribis pro diplomate condonare necesse foret: tales ergo utpote Simoniacos, non esse sacerdotes, Hildebrandus docebat. Sed Pontifices verbis quidem ambitus crimen abominabantur, sed plus auri sub magna pietatis superficie, dum se gratis dare cuncta jactant, corrasere, pluriq; sacra venum dedere &c. Tum Simonia Hildebrando erat, nunc absentium confirmationem, annatas &c. nuncupari audio &c. ibidem Aventinus graviter pronunciat. Quamvis non inficias ivero, tempore Henrici in distributione Episcopatum non raro fuisse peccatum, nec paucos ad
sacrum

sacrum ordinem largitione aditum sibi affectasse, veluti *Lambert. Schafnab.* de mala hac consuetudine vice plus simplici conqveritur; *vide Annal. f. 482, 484, 519. &c.* hæc tamen causa neutiqvam prægnans fuit ac sufficiens, ut idcirco Henricus solio deiceretur, ac omnes omnino Cæsares jure exuerentur Ecclesiastico.

§. XIII. Verum Hildebrandus suæ inserviebat libidini, ac specioso Simonix prætextu jus sacrorum in se transferre satagebat, ipse interim una cum successoribus Simoniacorum pessimus; quo circa eò tandem progressus est audaciæ, ut in ipsum Imperatorem, edictum papale susq; deq; habentem, ac de jure suo nihil quicquam remittentē, fulmen execrationis evibraverit, sed novo prorsus modo, ut excommunicatum non modò sacris arceret, sed & proscriberet, dignitate Cæsarea exueret, subjectos à sacramento fidelitatis absolveret. *Dignum namq; esse dicitabat, ut is dignitate careat, qui majestatem Ecclesie imminuere conetur; & hæc omnia sub nomine humilimi Petri fecit. V. Platinam p. 177. & Sigonium c. 1. lib. 9. f. 220. apud quos fulmen Pontificium in Henricum vibratum, plenum impietate, extat. conf. Lambertum ad an. 1076 f. 532. Ursperg. f. 170. Avent. f. 350.*

§. XIV. Quod impudens, plenumq; arrogantia facinus viri cordati valde detestati sunt; *vid. Sigebertum Gemblacensem monachum, in Chronograph. sub anno 1077. f. 603. ed. Pistor. quin etiam id ipsum scriptores Hildebrandi alioquin studiosiores, veritatis adacti, interdum improbarunt. Otto Frising. Chron. l. 6. c. 15 f. 127. rei novitatem miratus in hæc erumpit verba: Lego & relego Romanorum regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio quenquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno privatum: nisi forte quis pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breve tempus à Romano Episcopo inter pœnitentes collocatus, & Theodosius à B. Ambrosio propter cruentam cadem à liminibus Ecclesie sequestratus sit. conf. Eiusdem lib. 1. de Gestis Frider. l. c. 1. f. 194. add. Urspergensis f. 208. hæc Ottonis verba non nihil refutans. Ipse etiam Nauclerus, nimius ceteroquin in recensendis Hildebrandi laudibus,*

notat hujus censura gravitatem, quam tanta in Occidentali Ecclesia scandala sint secuta, ac loco ex Augustino adducto improbat. Vol. II. Gen. 37. f. 161. Quin nec Platina l. c. diffitetur, ex his, qui adfuerint, nonnullos contradixisse, nec regem ita cito anathematizandum esse, affirmasse. Quibus tamen ita Pontifex responderit: quando Christus ecclesiam suam Petro commisit, & dixit, pasce oves meas; excepitne reges? conf. Marian. Scot. l. c. f. 454. ad A. 1075. & Aventin. f. 350. Verissime igitur episcopi in Vormatiensi synodo congregati: Hildebrandum divinas literas falso interpretando sua cause servire cogere, callidumq; imperium orbis titulo Christi, sub ovina pelle ambire fuere conqvesti; apud Aventinum f. 349. conf. omnino gravissimam Conradi episcopi Trajecter sis orationem, quam in Gerstungensi episcoporum Germaniæ, & Galliæ conventu adversus Hildebrandinam παππικασαπεία habuit, ab Aventino itidem exhibitam l. c. f. 357.

§. XV. Contra verò Pontificis adultores, infulam episcopalem vel participantes, vel spem de ea concipientes, id constantiam ac Zelum pro Deo laudabilem interpretati fuerunt, Gregoriumq; ecclesiasticæ libertatis defensorem, qui fortis athleta, murum se pro domo domini ponere non timuerit, virumq; in Ecclesiastico rigore constantissimum &c. nuncupare haud erubuerunt. Vid. monachum Hirsfeldensem l. c. f. 488. Marian. Scot. loco proxime alleg. Frising. Chron. l. 6. c. 32, 34. & 36. Platin. p. 181. & Onuphr. ad Pl. t. c. l. Trithem. Chron. Hirsaug. f. 72. Nauclerum f. 161. At vero Henricum, jus suum non negligentem, imperiique majestatem contra Hildebrandi machinationes fortiter tuentem, isti hominem levem, perniciosum, in male pertinacem, Romanæ Ecclesiæ persecutorem, libertatem Ecclesiasticam tyrannide sua deprimentem, hæreticum, Simoniacum &c. aliisque contumeliosis vocitarunt nominibus. Vid. Scriptores alleg. II. cc. add. Trithem. l. 5. de Script. Eccles. f. 270.

§. XVI Longum nimis foret, minutissima quæq; hic consuetari ac sigillatim recensere, quanta Gregorius mansuetudine Henricum, summum orbis Christiani caput, anathematis fulmine ad extremas redactum angustias, (Germanis

manis nempe instinctu papæ ab eo, tanquam diris devoto,
passim deficientibus.) Canusiq; supplicem sibi factum tra-
ctaverit eundemq; posteaquam regio cultu abjecto, sine
calceis sæviante hyeme, intra secundum murorum ambitum
triduum usq; ad vesperam jejunus responsum pontificis ex-
pectaverat, quarto demum die vix exoratus in conspectum
admisit, ac non nisi durissimis absolverit conditionibus;
quomodo item Rudolpho Svevorum duci, inusitato prorsus
exemplo, coronam miierit cum inscriptione: *Petra dedit Pe-
tro, Petrus diadema Rudolpho*; deniq; quo pacto Henricus cum
Anti-Cæsare illo de summa imperii aliquoties dimicaverit, ac
Rudolpho tandem ex vulnere extincto, Romam ceperit, atq;
in locum Hildebrandi de solio Papali deturbati, Clementem
III. surrogaverit, & quæ sunt alia hujusmodi plurima,
quibus nunc copiosius enumerandis consultò supersedeo,
quandoquidem illa in omnibus propemodum Compendiis
Historicis exposita habeantur, adeoq; vel tyronibus histo-
riarum satis superq; cognita sint atq; perspecta. Ex antiqui-
oribus autem hac super re evolvendi sunt *Lamb. Schafnab. f.*
536. seqq. Sigebert. Gemblac. Chronograph. ad an. 1077. f. 603. Otto
Frising. Chron. l. 6. c. 35. & de Gestis Frid. I. l. 6. c. 7. Urspberg. f. 170,
172. Platina p. 177. sq. Tribem. Chron. Hirs. f. 73. & 77. conf. ex re-
centioribus Aventin. l. c. f. 353. seq. Sigon. l. c. f. 222.

§. XVII. Eandem ob causam neq; actionibus ac con-
troversis, quæ Hildebrando cum ceteris Europæ principi-
bus intercesserant rite describendis immerari nunc licuerit,
sed angustioribus circumscripto limitibus effrenatam Gre-
gorii superbiam, atq; affectatam in ipsum Imperatorem Ro-
manum tyrannidem aliquatenus repræsentasse suffecerit,
insuperq; ostendisse, quam vana prorsus ac frivola sint elo-
gia, quibus istum hominem aulæ Romanæ adultores ma-
ctare non dubitarunt. Etenim hic quoq; ex ungue leo o-
ptimè omnium æstimatur, ac qualis iste fuerit, quantaq; pie-
tate, morumq; sanctimonia præditus extiterit, ex factis ejus
hucusq; commemoratis, atq; ab ipsismet Pontificiarum parti-

um scriptoribus memoriae traditis, candido cuilibet, atq; à studio partium alieno, facile subolet. Ut proinde ad evincendam ipsius ambitionem, extremamq; improbitatem, vix necesse esse censeam, varia sollicitè conquirendi testimonia Bennonis Cardinalis, aut reliquorum ejus ætatis Cæsareanorum scriptorum, qui *Hildebrandum fuisse necromanticum, diabolicarum artium studiis imbutum, somniorum conjectorem, homicidam, adulterum, hæreticum, omniumq; mortalium pessimum &c. literis prodiderunt; vide præter Bennonem (à Reinerio Reineccio. Academiae Juliae quondam Historico, juris publici factum;) in Hildebrandi vita; Annot. ad Ursperg. f. 171. & quæ episcopi XXX. Anno. 1080. ex Germania, Italia, Gallia, Brixinæ in Bojaria congregati, eidem objecerunt, apud Frising. lib. 1. de Gest. Frid. l. c. 1. f. 194. Ursperg. ad an. 1080. Aventin. l. 5. Annal. Boj. f. 355. Sigon. l. c. f. 227. conf. Schafnaburg. sub anno 1077. f. 535. (ubi tamen Hildebrandum, pro suo in hunc affectu, à suspitione incesti amoris cum Mathilde liberare conatur.) quæ omnia Marianus Scotus Chron. l. 3. at. 6. ad A. 1081. f. 456. atq; Onuphrius Annot. ad Platin. p. 182. in gratiam Imperatoris Henrici conficta fuisse, nimis audacter affirmant; etenim si vel maxime largiar, in vitiis notandis Hildebrandi hostibus, affectui fortè indulgentibus, non tutò simpliciterq; credi posse, attamen cum hæc accuratè juxta omnes circumstantias, ac sui quidem temporis hominibus, maximo scripserint consensu, omnem ipsis fidem prorsus derogare, temerarium sanè fuerit.*

§. XIX. Quicquid vero ejus rei sit, nolim egomet in præsentibus hisce exaggerandis diutius inhærere, cum testimonia, veritatis vi non raro illis expressa, qui ceteroquin rebus Hildebrandi studuere, validiora longe, & ad argvendam ejus tyrannidem, malitiamq; magis idonea judicaverim, cujusmodi non pauca à me jamjam fuere prolata. conf. §. 14. Quibus non possum, quin adjiciam verba, quæ Naclerus, papæ addictior. habet l. c. f. 161. *Quæ Hildebrandi, inquit, tempore in republica Christiana sunt acta, hujusmodi fere sunt, ut scriptores*
du-

dubitent, an honestatis argumento & fidei Zelo ab Hildebrando sint
gesta. Paria commemorat *Aveninus l. c. f. 345.* de Paulo Bern-
ritensi ac Gerocho Reicherpergenfi, Augustinianis ea tem-
pestate monachis, acerrimis Hildebrandi propugnatoribus,
quorum hic tandem suæ partis pertinaciam, vel tyrannidem
potius, hilce verbis, coactus veritate, notaverit: *Romani sibi di-
vinum usurpant honorem, rationem actorum reddere nolunt, nec
sibi dici a quo animo ferunt, cur ita agis? Illud Satyricum. incu cant:
Sic volo, sic jubeo. sit pro ratione voluntas.* Ille verò Gregorium
pervicaciorē extitit, in ejus vita prodiderit. Sed & *Hirsfel-
densis monachus Annal. f. 488.* eum vehementis ingenii virum fu-
isse fatetur; pertinet huc itidem *Abb. Urspergensis*, reliquis læ-
penumero cordatioris, effatum: *Sub Hildebrando Romana
respublica & omnis Ecclesia novis & inauditis schismatum erroribus
periclitari cœpit, & paucis interjectis: Sunt qui illum non canoni-
ce constitutum, sed tyrannice papatum sibi met assereverent usurpasse.
Chron. ad an. 1074. f. 169.*

§. XIX. Hildebrandinam porro *παπποκρατορίαν* decla-
rat itidem, nobisq; patefacit Antichristiana ejusdem doctri-
na, factis ex asse respondens, absolutamq; in spiritualibus pa-
riter ac temporalibus Monarchiam introducens, quæ conti-
netur *Dictatibus* (uti vocavit,) *Papa*, à novo hoc Dictatore ar-
rogantia plusquam Dictatoria promulgatis, quos hîc adscri-
bere ob chartæ angustiam mihi non est integrum; possunt
autem eam in rem consuli *Calixtus de Conj. Cler. p. 414.* & *Hei-
deggerus H. P. p. 90. §. 81.* illos ipsos ex Hildebrandi epistolis,
Annalibusq; Baronii, exhibentes; add. *Casaub. in Baron. l. c. p.
373.* Quanta idem Gregorius violentia presbyteris Germa-
niæ jus conjugii ademerit, impiamq; cœlibatus legem intro-
ducere conatus fuerit, laudati modò *Calixtus atq; Heideggerus
ll. cc.* ex horum temporum scriptoribus sufficienter docue-
runt, ad quos proinde B. L. iterum remitto; *conf. Cœmunitium,
cœlibatus historiam, quatenus ad Hildebrandinas præser-
tim molitiones pertinet, nervosa brevitate persequentem, in
Exam. Conc. Trid. Part. III. p. 117.*

§. XX

ax 77: 1694

§. XX. Veruntamen Hildebrandus Henricum, vindicem majestatis Cæsareæ incomparabilem, tot, tantisq; machinationibus suis, tot anathematibus diris atq; execrationibus, eò redigere nunquam potuit, ut juri sacrorum renunciaret, quin potius ab illo tandem Roma ipsemet fugatus, Salerno in exilio decessit. *An. 1085. vid. Sigebert. Gembl. l. c. ad an. 1085. f. 605. Frising. Chron. l. 7. c. 1. f. 129. Urspberg. f. 173. Platin. p. 181. Trubem. Chron. Hirs. f. 83. Avent. f. 357. Sigon. l. c. f. 229.* Atq; ita seculo demum XII. Calixtus II. cum antecessoribus suis Hildebrandi vestigiis gnauiter insistens, Henrico V. Quarti filio, diris pariter ac seditionibus à Pontificibus identidem concitatis fracto, jus ecclesiasticum extorsit, ita ut in posterum Episcopi & Abbates recens electi, non nisi regalia per sceptrum ab Imperatore reciperent, Papa autem investituræ ecclesiasticæ jus solus haberet; fontes hujus rei verissimaq; capita sunt in tabulis ejus pacti publicis, quæ extant apud Urspberg, ad an. 1122. f. 204. Nauclerum Vol. II. gen. 38. f. 178. & Sigonium de R. It. lib. 10. f. 256. conf. Frising. Chron. l. 7. c. 16. f. 137. Robertum de Monte, Sigeberti continuatorem ad an. 1123. f. 618. 619. Dodechinum Abbat. in append. ad Marian. Scot. f. 470. ed. Pistor. Platin. in Calisto II. p. 194. & Onuphr. Annot. ad h. l. p. 195. Et sic Pontifices Romani hujus cessionis prætextu imperium sacrorum, atq; adeo supremum quoddam dominium in ecclesiasticos proceres & præfules, totamq; rempublicam Christianam in ecclesiasticis pariter & politicis negotiis sibi arrogarunt. Id quod haud obscure innuit *Frisingensis Episcopus*, suæ de Vormaciensi hac pactione Henrici V. cum Calixto narrationi l. c. subjiciens: *Exhibet Ecclesia; ait, libertati ad plenum restituta, paceq; ad integrum reformatâ, in magnum montem creuisse sub Calixto Papa secundo invenitur. Hactenus Frisingensis.*



1077

1117



R.K. 419, 26.

Ex H

GRE

HILL

M. EL
MA

ANTONI

D. N



WITTE



Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

720.
Π i
1694

VII.

O,

EN-

RUS,



e6

6

